

CORNELII TACITI

DE VITA

IVLII AGRICOLAE

LIBER

CLARORVM virorum facta moresque posteris tradere, anti- **I**
quitus usitatum, ne nostris quidem temporibus quamquam
incuriosa suorum aetas omisit, quotiens magna aliqua ac
nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium parvis mag-
5 nisque civitatibus commune, ignorantiam recti et invidiam.
sed apud priores ut agere digna memoratu pronum magisque **2**
in aperto erat, ita celeberrimus quisque ingenio ad proden-
dam virtutis memoriam sine gratia aut ambitione bonae
tantum conscientiae pretio ducebatur. ac plerique suam ipsi **3**
10 vitam narrare fiduciam potius morum quam adrogantiam,
arbitrati sunt, nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut
obtrectationi fuit: adeo virtutes isdem temporibus optime
aestimantur, quibus facillime gignuntur. at nunc narraturo **4**
mihi vitam defuncti hominis venia opus fuit, quam non petis-
15 sem incusaturus: tam saeva et infesta virtutibus tempora.

Legimus, cum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio **2**